

ferotina & præcoces, biferæ, alba ac nigra, cū messe vindemiaq; maturescentes. Serotina & à corio appellata duro: ex Chalcidicis quarundam trifero prouentu. Tarenti tantum prædulces nascuntur, quas vocant omas. Cato de ficis ita memorat. Ficos mariscas in loco cretoso aut aperto serito. In loco autem crassiore aut stercoreato, Africanas, & herculaneas, saguntinas, hybernas, tellanas, atras pediculo longo. Postea tot subiere nomina atq; genera, vt vel hoc solum æstiuantibus appareat, mutatam esse vitam. Sunt & hybernae quibusdā prouincijs, sicuti Mæsiæ, sed artis, non naturæ. Paruarū genus arborū post Autumnū fimo contegunt, depræhensasq; in his hyeme grossos: quæ mitiore celo refossæ cum arbore atque in lucem remissa, novos soles, aliosq; quàm quibus vixere, auide tanquam iterum nata accipiunt: & cum venientium flore maturescunt, alieno præcoces annos, in tractu vel gelidissimo. Sed à Catone appellata iam tum Africana, admonet & Africa, ad ingens documentum vsu eo pomu. Nanque perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotumque securitatis anxius, cum clamaret omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex ea prouincia ficum. Ostendensque patribus, interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? Cum inter omnes recens esse constaret. Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptum Carthagine, tam prope à muris habemus hostem: Statimque sumptum est tertium Punicū bellum, quo Carthago deleta est, quanquam Catone anno sequente rapto. Quid primum in eo miremur? curam ingenij, an occasionem fortuitam? celeritatemq; cursus, an rehementiam viri? Supra omnia quiddā est, quo nihil equidem dūco mirabilius, tantam illam urbem, & de terrarū orbe per cxx. annos emulam, vnus pomi argumentō euersam: quod non Trebia aut Trasymenus, non Cannæ busto insignes Romani nominis perficere potuerunt: non castra Punica ad tertium lapidem vallata, portæque Collinæ adequitans ipse Annibal. Tanto propius Carthaginem pomu Cato admonuit. Colitur ficus arbor in foro ipso ac comitio Romæ nata, sacra fulguribus ibi conditis. Magisque ob memoriam eius, quæ nutritrix Romuli ac Remi cōditoris appellata: quoniam sub ea inuenta est lupa infantibus præbens rumen (ita vocabant mammam) miraculo ex ære iuxta dicto, tanquam in comitium sponte transfisset. Adactō nauigio ilico arefcit, rursumq; cura sacerdotū feritur. Fuit & ante Saturni ædem urbis anno cclx. sublata sacro à vestalibus factō, cū Syluani simulacrū subuerteret. Eadem fortuito satu viuut in medio foro, quæ fidentia imperij fundamenta ostento fatali Curtius maximis bonis, hoc est, virtute ac pietate, ac morte præclara expleuerat. Aequè fortuita eodem loco est vitis atq; olea, vmbra gratia sedulitate plebeia satæ. Ara inde sublata gladiatorio munere diui Iulij, quod nouissime pugnavit in foro. Admirabilis est pomi huius

iusce festinatio, vnus in cunctis, ad maturitatem properantis arte naturæ.

De caprifico, & caprificatione. CAP. XIX.

Caprificus vocatur è syluestri genere ficus nunquam maturescēs, sed quod ipsa non habet alijs tribuens, quoniā est naturalis causarū transitus, atq; è putrescentibus identidē generatur aliquid. Ergo culices parit: hi fraudati alimento in matre, putri eius tabe, ad cognatā volant: morsuq; ficorum crebro, hoc est, auidiore pastu aperientes ora earū, atq; ita penetrantes, intus solem primo secum inducunt, cerealesq; auras immittunt foribus apertis. Mox lacteum humorē, hoc est, infantia pomu absumunt, quod fit & sponte. Ideoq; ficetis caprificus permittitur ad rationē venti, vt status euolantes in ficus ferat. Inde repertū, vt illata quoq; aliunde, & inter se colligata inuicerentur fico: quod in macro solo & aquilonio non desideratur, quoniam sponte arefcunt loci situ, rimisq; eadē, quæ culicū opera, causa perficit: necnon vbi multus puluis, quod euenit maxie frequēti via apposita. Nanq; & pulueri vis siccandi, succumq; lactis absorbendi: quæ ratio puluere & caprificatione hoc quoq; præstat ne decidant, absumpto humore tenero, & citā quadā fragilitate ponderoso. Ficis mollis omnibus tæctus: maturis frumenta intus: succus maturescētibus lactis, percoctis mellis. Senescunt in arbore, amusq; distillant gummi modo lacrymam, siccanturq;. Honoris laudatas seruat in capsis, Ebuso insula præstantissimas, amplissimasq; mox in Marrucinis. At vbi copia abundat, implentur orca in Asia, cadi autē in Ruspina Africa vrbe, panisq; simul & obsonij vice siccata implent: utpote cū Cato cibaria ruris operarijs iusta ceu lege sanciens, minui iubeat per fici maturitatem. Cum recēti fico salitis vice casei vesci, nuper excogitatum est. Ex hoc genere sunt, vt diximus costana & carica, quæq; conscendenti nauim aduersus Parthos omen fecere M. Crasso, venales prædicantis voce canæ. Omnia hæc in Albense rus è Syria intulit L. Vitellius, qui postea censor fuit, cū legatus in ea prouincia esset, nouissimis Tiberij Cesaris temporibus.

De mespilis, & eorum generibus tribus. CAP. XX.

Mælorum pirorumque generi adnumerentur iure mespila atque sorba. Mespilis tria genera, anthedon, setania. Tertium degenerat, tæmet si anthedoni similis est, quod gallicum vocant. Setaniæ maius pomum candidiusq;, acini molliore ligno. cæteris minus pomum, sed odore præstantius, & quod diutius seruetur. Arbor ipsa de amplissimis. Folia antequam decidant, rubescunt, radices multæ atque altæ, & ideo inextirpabiles. Non fuit hæc arbor in Italia Catonis æuo.

De forbis genera quatuor. CAP. XXI.

Orbis quadruplex differentia. Alijs enim eorum rotunditas mali, alijs turbinatio piri, alijs onata species: ceu mælorum aliquibus. Hæc obnoxia acori.